



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Roffensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

habere, vos, eo deliruto, in curam vestram, sublato appellationis obstaculo, sepe dictam custodiam assumatis, custodientes eandem donec de ipsa mandatum apostolicum impleatis. Illud autem vos nolumus ignorare, quod postquam idem M. fuit Abbas effectus, predictam custodiam de jure non potuit obtinere: quia cum ratione abbatis ad ipsum pertineat donatio tam custodiam quam aliarum dignitatum ac etiam prebendarum in Ecclesia Peronensi, custodiam ipsius nequam recipere potuit a se ipso, cum interdantem & recipientem debeat esse distinctio personalis, sed nec ab alio, cum jus conferendi alius non haberet. Datum Viterbij XII. Kal. Iulij, anno decimo.

ROFFENSI EPISCOPO.

Epist. 81.
Vt Iohannem
ab officio & be-
neficio priva-
tum cohabitare
uxori suae com-
pellat.

Pertuas nobis litteras intimaſti quod cum Iohannes lator presentium publice coram te fuisset in iure confessus se cum quadam post susceptum subdiaconatus ordinem contraxisse, ac postmodum se fecisse, huius rei tacita veritate, in Diaconum ordinari, licet demum tam de contracto matrimonio quam de diaconatus ordine post suscepto tibi per idoneos testes constiterit, idem tamen quod ante contractum matrimonium factus fuerit Subdiaconus probare nequivit. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, predictum I. officio beneficii que privatum cohabitare compellas uxori. Datum Viterbij V. Kal. Iulij, anno decimo.

EPISCOPO ENGOLISMENSI.

Epist. 82.
De Canonicis
ad presbyteratum
promoven-
dis.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quod cum in Engolismensi Ecclesia plures esse Canonici consueverint, qui per hebdomadas Missarum solemnia celebrabant in ordine vicis suae, quia duo tantum Presbyteri, qui sunt ad presens in ipsa, onus hoc se non posse gerere conqueruntur, quod dudum a sex vel septem non facile portabatur, Canonicos inferioris ordinis monuisti ut causa supplendi defectum huiusmodi se facerent in Presbyteros ordinari. ad quod nullus potuit ipsorum induci. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus dictos Canonicos moneas & inducas ut vel qui fuerint idonei, promoveri non differant pro tali necessitate ad officium sacerdotis, vel tecum pariter, prout convenit, aliquos assumant in socios & in fratres, a quibus in officio ipso

in praedicta Ecclesia ministraretur. Alioquin defectum eorum prout utile fuerit circa hoc, appellatione remota, nostra studeas auctoritate supplere. Nullis litteris &c. Datum ut in alia.

REGENSI EPISCOPO,
& Abbati de Boscaudo.

Cum olim quidam religiosi diocesis Niciensis tenorem quarundam litterarum nobis obtulerint intuendum, quibus venerabilis frater noster... Niciensis Episcopus super quibusdam expensis usus fuerat contra ipsos, conicientes per illum easdem litteras esse falsas, venerabilibus fratribus nostris Glandecensi & Senecensi Episcopis dedimus in mandatis ut occasione ipsarum in negotio non procederent, donec, inspectis eisdem, procederemus in hoc sicut contingeret expedire. Interim autem idem Niciensis Episcopus, qui tunc usque veras esse putaverat litteras prelibatas, incidens in suspicionem earum, protinus ad dilectum filium fratrem Petrum de Castronovo apostolicae sedis Legatum accessit, & exposito quod... Clericus, qui sibi familiaris extiterat, illas litteras a nobis se dixerat impetrasse, quodque penitus earum falsitatis ignarus fuerit usus ipsis, quid tanta malitia nova relatione confusus ageret ab ipso quaesivit. Vnde mox ad apostolicam sedem properans, oblati nobis quibusdam litteris, quibus plerique viri religiosi suam innocentiam excusabant, sponte quidem, sed cum rubore, nobis aperuit quomodo in re ipsa confidenter quia simpliciter ambulavit. Licet igitur, juxta constitutionem contra falsarios editam, gravis poena videretur eidem Episcopo imminere, quia tamen in eadem constitutione cavetur ut in huiusmodi plus malitia quam negligentia puniatur, attendentes quod, velut asserit, hic nocet alterius non sua culpa sibi, quanquam diligens non extiterit circa litteras memoratas quam debuit adhibendo cautelam, illud quoque notantes, quod nec fautor falsitatis extitisse videtur, quam, cum primo fuit suspicatus de ipsa, nostro studuit revelare Legato, ac tandem personaliter ad nos veniens, coram nobis spontaneus est confessus, ipsum officio pontificali suspensum ad vos, de quorum discretione confidimus, duximus remittendum, presentium vobis auctoritate mandantes quatinus postquam ab eo cum tribus Episcopis super hoc purgationem canonicam receperitis, ipsum ad

Epist. 83.
De causa Episcopi Niciensis.